

DISSE
TATI
O GEOGRAPHICA
de
ANTIPODIBUS,

Quam
Ex consensu Ampliss. Fac. Philos.
In Illustri Academia Aboensi

Sub PRÆSIDIO
VIRI CELEBERRIMI
Dn. AND. BRYSS/
Poes. Prof. Reg. & Ord.

PRO GRADU MAGISTERII
examinandam sistit

ZACHARIAS FORBUS,
Ostro Bothn.

*Die 15. Decemb. MDCCXI loco &
boris ante meridiem solitis.*

Impr: apud AND: Biörckman/
R.eg. Univ. Typog.

M. J. Linnæus

D. N. D. M. E. G. L. W. S.

S Y C H A R Y S

O L

N I S T C O M P A S S A Y M A I

B O R D . A . A . V I

7. N. 7.



Uicquid DEUS ab æterno fieri decrevit, id initio tam mirabiliter factum est, ut admiratione nunquam desistat detinere mortales. Tale inter multa esse non immerito censetur, quod terra, cum globi formam habeat, ita tamen incolas in quacunque parte sustineat, ut non minus ii sint, qui coneraria nobis calcant vestigia, quam qui ad latus obliqui nobis pariter ac transversi conterunt humum. Unde eosdem pro diverso habitationum oppositarum situ in Perœos, Antœcos & Antipodes veteres distinxerunt. Neglectis duobus prioribus, de postremis eâ, quam ratio instituti permittit, brevitate disputare jam est animus.

Tales sunt diametraliter oppositi, quorum pedes pedibus direcTe sunt obversi. Vel: qui in Antimeridianis &

A

An-

Antiparallelis habitant, ut Americani & Indi Orientales circa Gangem, de quibus videantur Conimbr. lib. 2. de cœlo cap. 14. Strabo lib. 1, ait Indos, ut maxime Orientales, & Hispanos, ut Occidentales, quodammodo *άνθεις* & *άνθεις* esse, vel secundum Casaubonum *τρόπον πνὰ*, quia nec totis centum octoginta gradibus longitudinis a se invicem dissiti sunt, nec proprie Antipodes vocari possunt, qui sunt in eodem *έυκράτῳ*; Antipodes enim definiunt τὰς ἐν τῇ *άντευκράτῳ* ὑπὸ γῆς ἔχοντας *άλιμα*. (a) Diogenes in Pythagora εἰσι, inquit, οὐκ ἀντίποδες οὐκ ἡ αἷμιν κάτω, ἀντίοις ἀνώ.



Demonstrantur tales in apposita figura, nimirum qui regionem incolunt

i. &

(a) Matt: Mart. lex. Philol. in h. l,

i. & 2. atque 5. & 4. nec non 6. & 7. Pericæci autem sunt, qui habitant in 7. & 8, item in 3. & 6. Antœci vero in 3. & 7, atque in 6. & 8. (b)

Cæterum ægre induci in eam sententiam vetustas potuit, ut Antipodes assereret, visus mensurâ in rei dijudicationem pertinacius adhibitâ. Evidem per sensus multa didicit intellectus, eorumque tacitis monitis obsecutus eopervenit, ut tot rerum arcana tantasq; subtilitates invenerit de quibus omnes jam sibi gratulari habent. Ut autem illi magni sint momenti, multumque conferant humanæ sapientiæ comparandæ, adeo ut quod res sint in conceptu Objectivo veræ nos instruere queant, tantum tamen abest, ut rationem formalem sive conceptum practicum forment, ut id munus soli intellectui deferendum sit, cum nihil nisi accidentia percipient, essentias autem rerum non pervadant. Itaque, quemadmodum punctum dari minu-

tissimum, quod careat omnibus partibus quantitativis: lineam creari fluxu & motu puncti, circulum motu in orbem lineæ, sphæram semicirculi, trianguli conum, & parallelogrammi motu Cylindrum, mente concipi mus, licet sensui externo ea ne repræsentari quidem possint; ita quanquam in terrâ tanta planities maris campo rumqve, & tanta quoqve montium altitudo appareat, tamen eam habere globi figuram, ideoqve necessario ab Antipodibus incoli, ratio ipsa evidenter evincet. Igitur quo minus Antipodes affirmarent Prisci, in causa est, quod sensuum experientiæ nimum tribuentes, crediderint terram in rotunditatem non assurgere, sed planam esse; deinde, quod Antipodes, quoniam nullum corpus viderent cœlum inter & terram intercedere, existimaverint, si darentur, deorsum lapsuros.

Verum de terræ figura sphærica
qnic-

quicquid dubii antiquitas habuit, jam
omne dudum remotum est; nec ultra
vel Anaximandrum, qui terram co-
lumnæ, vel Leucippum, qui tympano
similem dixit, quidquam moramus.
In primis istius rei veritatem Astrolo-
gorum telescopiis experiri licebit, qui-
bus observant, quid in oppositione,
luna scilicet in nodis consistente, eve-
nire solet: tunc enim umbram rotun-
dam repræsentat, quod fieri non pos-
set, si terra, quæ tales de se projicit,
non esset rotunda, siquidem sphærici
umbra, quæ radiis lucis terminatur,
figuram sui opaci semper assimilat. (c)
Deinde quoniam in qualibet superficie
consideranda est & longitudo, quæ
terræ est ab Oriente in Occidentem,
& latitudo, quæ per transversum est,
quocumque modo terram rotundam
esse apparet. Nam tales esse secun-
dum longitudinem probant & ecclipes
in diversis locis notatae diversis tem-
pori-

(c) D. D. Gezelius in tract. Opt. p. 509.

poribus, quanquam simul utrisque fi-
ant, & stellæ, quæ Orientalibus ante,
deinde Occidentalibus oriuntur & oc-
cidunt; at secundum latitudinem stel-
læ circa polos semper aut nunquam
apparentes; quæ apparentiarum diver-
sitas, tumorem certe terræ indicat, quæ
si non esset, nulla illarum contingere.
Horizon esset omnibus idem; Sol niti-
dissimus mundi Oculus matutinis ra-
diis omnia loca eodem tempore illu-
straret, diverso nunquam, cumq[ue]
cursum suum absolveret, eodem mo-
mento omnibus occideret. In globo
obliquo nulla fieret inæqualis ad sensio-
medietatum æquatoris & ecclipticæ,
adeoq[ue] dies & noctes artificiales sem-
per ejusdem essent quantitatis, nocti-
um & dierum horæ æquales, cum ta-
men dies brevissimos circa solstitia bru-
malia, in solsticiis vero æstivis, post-
qvam ab ariete ad virginem ambulavit
sol, longissimos esse dierum articulos
experiamur. Qvod dicunt continen-
tem appellentibus prius montium juga
tur-

turriumque fastigia, quam eorum bases & radices videri, id non inficior, inde tamen terrae rotunditatem probari posse nemo sanus dixerit, quippe cuius inclinatio post quindecim milliaria vix adverti potest, quod spatium nemo visu emetitus est.

In designanda tamen telluris figura occupatos, absoluti eam ac velut torno exacte fabrefacti orbis esse asserere vetant, partim montium eminentia & excelsitas; partim insignis valium profunditas; quæ ut superficiem terræ vellevant, vel deprimunt, ita talem admittunt, qualis ambitu linearum ex centro terræ eductarum comprehendi potest, quarum linearum summas si in superficiem incluteris, ambitum reddet, qui omnino absoluti orbis est. Atque hanc figuram quo equius terræ tribuamus, sacris etiam iteris s vademur, cum apud El. cap. 40: 2. DEUS dicitur עַל חֹג הָאָרֶץ. Hanc enim rationem habuit Effector mundi molitorque Deus, ut opus

opus hoc totum atque perfectum ex omnibus totis atque perfectis absolve-retur, quod omni imperfectione care-tet; formam autem & maxime sibi cognatam & decoram dedit, a quo e-nim omnes contineri vellet animantes, hoc eâ forma figuravit, qua una o-mnes reliquæ formæ concluduntur & globosum est fabricatum, quod σφα-gocēs Græci vocant, cujus omnis ex-tremitas paribus a medio radiis attin-gitur, idque ita tornavit, ut nihil effi-ci possit rotundius. Nec obstant ea, quæ de undis non ubique locorum æstuantibus temere nobis objiciuntur; norum enim est æstum maris fieri, non ex globi hujus terrauei partiumque ejus inæqualitate, ac si altius ea loca porrigerentur, peraque ut ovorum protuberant extrema, in quibus ma-teria cœlestis aquam in cumulum assurgere cogit; sed ex corporis lu-naris inæquali cursu, habet enim vor-ticem non exacte rotundum, sed qui ad ellipsis naturam accedit.

At globum cum nominamus; eum non solam terram, verum etiam aquam in prima rerum creatione adjunctam intelligimus, quæ altior non est terra, ambæ vero ad unum globum sphæricum constituendum conspirant amicissime, ut unus ex duabus naturis conflatus ist, quarum neutra redundat & effunditur, ceteroquin haud minus impossibile esset undis spumantibus objecta littora devorari, quam Nilo Ægyptum inundare totam. Quæ certe res, quodque dimidiā superficiem terreni globi aqua occupet, reliquæ contra partes terræ pro commoda animalium habitatione extra aquas educantur, res plena divini miraculi est.

Sed quanquam nihil ultra repugnet, quo minus terræ dari forma orbis possit, adhuc tamen circumfundī incolis non existimata est, cum si conversis inter se pedibus starent, conciderent, nullo autem modo ambulare possent. Sed hæ positionum differen-

tiæ, si ut æqvum est, considerentur
 non respectu nostri, sed cœli, quod
 cunctis in quacunque partæ terræ con-
 stitutis supra verticem est, apparebit
 neminem cadere sursum, hoc est, ver-
 sus cœlum posse. Naſci igitur hanc ad-
 versus Antipodes pugnam ex ſitu ter-
 ræ negligentius perſpecto, ut in me-
 dio universi in aere pendet, haud du-
 bie colligitur, qui ſi non obtuſiore men-
 tis acie aſpiciatur, ad aliis miraculi
 exorientis obtutum minor erit dubitan-
 di occaſio. At terræ globum à circum-
 fulo aere omni ex parte premi conſtat,
 qui, ut aqua oceanī terræ ſubiectæ in-
 nititur, eo quidem magis, quo altior
 est, ita vim ſuæ gravitatis exerit eo for-
 tiorem, quo vicinior terræ est, quoqve
 altius ejus moles protenditur. Quo po-
 ſito, quemadmodum terram in medio
 immobilem contineri neceſſe eſt, aeris-
 que æquabiliter circumfuli viſ atque
 moles repugnet, ne ruat, aut in alter-
 utrum latus inclinari poſſit, ita pro-
 pter

ter ejusdem áeris nos circumquaque ambientis vim, nec illi, qui in ejus globo aduersa nobis vestigia premunt, decidere aut in declivia labi queunt. Quoniam enim vastissima illa extra ambitum terræ aula nihil vacuum aut corpore destitutum habet, sed contra omnem aeris molem conclusam tenet, quæ ne ulla ex aliqua parte fiat ruina, efficaciter resistit, nihil id, quicquid ad negandos hos qui contra siti sunt, adducitur, habere momenti quidquam potest.

Sed sphæricam esse globi terrauei figuram, si rationibus, quas tamen immotas jam adduximus, demonstrari non posset, sola hodie experientia abunde probaret: fuerunt enim quam plurimi, qui maritimis itineribus non solum multa, antiquis prorsus ignota, atque hominibus habitata loca invenerunt. Christophorus Columbus, genuensis civis, sumptu & auspiciis Ferdinandi & Isabellæ, ultra Atlanticum mare

mare insulas Hispaniolam, Cubam proximasque iteratis cursibus detexit, suoque mox exemplo alias, præsertim Vespuциum Americanum instigavit, ut ulteriora scrutarentur, donec hic vastissimum illum orbem Americanum inventiret, quanquam, quod ad Columbum attinet, non tam ille ingenium suum aut helicen & Cynosuram cœli secutus videtur, quam Martini Behaimi ex Bohemia Crumlaviensis antiquorem præcursionem. Is enim ab Isabella johannis I Lusitaniae regis filia, quæ post mortem Mariti (Philippus III Burgundus erat) Belgicis provinciis imperitabat, navem impetravit, ut tam ex membranis, quam Riccioli & Benzoni verbis graviter & ornate, ut solet, Joh. Christ. Wagenseil enarrat oratione parentalı Georgio Friderico Behaimo MDCLXXXII dicata, quā ducem genium suum secutus, ignota inaria & intentata vada scrutatur nec modo tagalem Insulam, quam primus

in-

invenit, aliasque circumiectas, quas Alcores Lusitani nominant, perlustravit, verum etiam in austrum ulterius progressus usque ad ultimum fretum, quod Ferdinandus Magellanus, hujus ductum secutus, pertransiit, & de suo nomine appellavit. Hieronymus Benzonus (Tom. IV. Americæ Theodori de Bry.) *Magellanus*, inquit, *fretum illio esse norat, quia ut fertur, in charta marina adnotatum viderat, descripta ab insigni quodam nauclero, cui nomen Martinus Bohemus, quam Lusitanæ Rex in suo Museo adserabat.* Sic Martini hujus nomen tantopere non celebratur, quanto Columbi Americi aut Magellani, quamvis merito suo his tribus sit præferendus.

Post hos Dracus, Candischius, Noortius, Ralegus, Forbischerus aliiq; Argonautæ Americæ alia prodidere. Quæ frequentata postmodum Lusitanis, Castellanis, Belgicis, Anglisq; & Gaslis mercatoribus, quæstus uberrimam non spem solum, sed & materiam præbuere.

Annus ibat Millesimus sexcentesimus tertius, cum classis instructissima, Praefecto Jacobo Willenkenio, viro non ad ostentationem, sed ad serios aulicis fortis & strenuo, in Brasiliam abiit, stetitque intra paucos menses in ipso sanctorum omnium sinu. Successit aucta dignitate Balduinus Henricus, vir rei navalis in primis peritus, qui frustra tentatis Brasiliæ oris, vagis, ut sors consiliumque ferebat, expeditionibus, circa Americæ septentrionalia, varia cum fortuna pugnavit. At illo circa Havanæ portum vita functo, rediit domum clas- sis. Post hos Petrus Heynius, nec non Henricus Loncquius in Americam tra- jecerunt, quorum hic Brasiliam ag- gressus & Olinda potitus est. Quæ exempla cum circuiri posse terram di- verso cœlo diversisque sideribus subje- ctam doceant, de ejus forma haud du- bitare nos sinunt.

Quomodo vero ex veteri orbe in Ameri-
cam pervenerint, per fretumne Ania-
nis

nis, quod qui terras Asiarum & Americarum cohærere afferunt, negant; an per continuas ad arctum cum Europa terras, an per septentrionalium insularum trajectus, vel an tandem per vicinam olim Gaditano freto Atlanticam (quam Americam esse ex Platonis Critia & Timaeo quidam autumant) in incerto est. Pro libertate sua quisque demat vel addat fidem tot placitis, mihi certe in partes hac de re ire, aut hoc præ illo vel impugnare vel afferere, tanta in veri caligine, animus non est.

Latuisse autem veteres terram nostram adversam putamus, nisi quod antiquos etiam Cosmographiæ peritos videmus, conjecturane verius an detectione certa, novisse mundi globum duabus oris distantibus habitabilem & cultum: quarum altera, quam nos incolimus, posita sub axe ad septem stellas, altera australis nobis sit ignota; unde profecti versus illi Maronis: *Facet extra sidera tellus, extra anni solis-*
gue

que viae. Parvam, cujus sancta pagina meminit, Peru esse & novam Hispaniam, conjecturæ sunt graciles. Si literarum aliqua communio in re tanta pondus habet, credam ad Afros invisse Salomonem, lecto littore, cum minus discrepent Ophir & Afer, quam Peru & Parvam, certius tamen statuitur Indiam Orientalem heic intelligi debere. Sane Diodorum Siculum memorare non ignoramus Phœnices lecto extra columnas Herculis Africæ littore, tempestate abreptos, ementos que ingentia Oceani spatia tandem devenisse ad insulam magnitudine immannem, in longinquuo Oceani pelago contra Africam in Occasum versus sitam: frugum vero fertilitate solique ingenio lætam, & magnifico ædificiorum cultu eximiam. Quæ sane insula ut ex situ & mole credi possit non esse alia, quam quæ nunc dicitur America; tamen si olim fuit cognita, non videtur miraculum credidisse Tacitus, Usipios Bri-

ta-

tanniam circumvectos, siquidem in Americam itum fuisse. Quid, quod Britanniam & mare Glaciale terrarum finem, naturæ terminum, neutquam appellasset.

At antiquitus fuisse habitatam Americam, tum alia multa testantur, tum potissimum imperii certa & constans ratio, superba urbium & viarum strutura, ædificiorum splendor, hominum frequentia & mores, qui nihil novi præ se ferunt. Nec enim potuerunt à minimis ad maxima provehi, nisi longa temporis mora.

Cæterum habitari jam omnia loca, ipsamque, contra quam veteres Poëtæ (d) senserunt, Zonam torridam, nemo negaverit, testantur enim Hispani, Lusitani & Batavi eandem incolarum copia abundare, agrum optimos fœsus edere, prata floribus & herbis nimium quantum superbire : illic læta esse pa-

C

scua

(d) Ovid. l. i. Met. f. 2. Hor. l. i. Od. 22.

Virg. l. i. Georg.

scua & maximam frumenti affluentiam.
 Qua forte, quave conditione quid in
 vitâ utilius dici potest aut excogitari?
 Neque enim calore adeo fervet, ut in-
 colas terre non possit, aut culturæ sit
 impatiens ; Nam & montes habet, qui
 hinc illinc radios solis absorbent, ca-
 loremque temperant, in primis si vapo-
 res ad summum montium compulsi,
 in iisdem stabulentur, & pluvias pro-
 gignant : & ventis perflatur, qui tan-
 to murmure interdum & fragore spi-
 rant, ut omnia misceri, & ipsum tere
 cœlum ruiturum putas (f). Jam digni
 sunt versus, qui adscribantur, Manilii.
 Is enim demonstrata terræ rotundita-
 te ita pergit :

*Hunc circum variæ gentes hominum atque
 ferarum,*

*Aëre atque colunt volucres. Pars ejus ad
 Arctos*

*Eminet ; Austrinis pars est habitabilis
 oris,*

Sub

(f) Lintscot. parc. 2. hist. Ind. Orient, cap. 36.

*Sub pedibusq;e jacet nostris , supraq;e
videtur*

*Op/a sibi , fallente solo , declivia longa ,
Et pariter surgente viâ , pariterq;e ca-
dente.*

Hos Antipodes non eosdem esse cum Antichtonibus, australem orbem incolentibus, asserit Pomponius Mela. (g) Achilles Tatius (b) liquido distingvit inter Antichtonas, his verbis: καλύπτει δέ οἱ μὲν θηρία τοῖς αὐτοῖς ἡμισφαιρίοις (globum hic dividit in hemisphærium orientale & occidentale) θόρεοί τε καὶ νόησι κατοικοῦντες Αντίχθονες. Οἱ δέ εἴφ' ἐκάπερ τῶν ἡμισφαιρίων ὑπὲρ γῆς περικατέχουσαι Αντίποδες. Existimarunt illi torridam ultimasq;e Zonas non incoli , reliquas vero duas esse habitabiles , quarum unam Antipodibus , Antichtonibus vero aliam assignarunt. Ita sonant verba Melæ (i) : terra in duo latera , quæ hemisphæria nominantur , ab oriente divisa ad occasum

C 2

Zo-

(g) l. i. c. 9 . (b) Isag. in Ar. Phæn. c. 29,

(i) lib. i. c. 1.

Zonis quinque distinguitur : medium æstus infestat, frigus ultimas : reliquæ sunt habitabiles. Antichtones alteram, nos alteram incolimus. Verum quam falso hæc dicuntur, ex præcedentibus & lequentibus facile est judicatu. Imo existimarem ego, illa duo vocabula esse promiscua, ut illi, qui nobis opponuntur, dicantur Antipodes ob vestigia, Antichtones vero propter terram, quam inhabitant, nobis oppositam.

Non tamen aliquis eo temeritatis & stultitiae sit elatus , ut illam terram alium mundum esse putet , quæ fuit sententia quondam Episcopi Salisburgensis : is enim , quem nos cum illis incolimus , unicus , est , totumqve occupat spatum , quod imaginatione capere possumus. (k)

Cæterum cum non sufficiat tantum scivisse τὰς Αἰγαίας in rerum natura dari

(k) Rohault.

dari , hominesqve planam non incolere terram , sed quæ in orbem partes suas agat , alliger aquas , in aquis alligetur ipsa , habeatque incolas , qui totum terre hunc circuitum occuparunt , id quod rationes superius allatæ satis adstruunt ; Itaque , si cuiquam placuerit investigare , quæ sibi loca diametraliter sunt opposita , modum hisce brevibus habeat sibi demonstratum : Convertat globum in ortum aut occasum , donec locus habitationis ejus tangat horizontem , & noret gradum interceptum . Si is in parte boreali sit à meridiano Occidental , è regione totidem gradus numeret , à meridiano versus ortum , & terminus numerationis erit locus ejus Antipodum .

Nobis sic procedentibus , plagam Australem toti Sueciæ oppositam esse demonstrabit calculus , illam scil . quæ adhuc nobis est incognita , non minus quam illis , quos prisca ferebat ætas .

Quam

Quamvis enim illi multa tentaverint;
 non tamen omnia orbis loca peragrare
 potuerunt. Multa, ait Seneca, (*l*) seculis
 tunc futuris, cum memoria nostri ex-
 oleverit, reservantur. Pusilla res mun-
 dus est, nisi in illo quod quærat omnis
 mundus habeat. Et : unde scio, an a-
 liquis magnæ gentis in abdito dominus,
 fortunæ indulgentia tumens, non conti-
 neat intra terminos arma ? an paret
 classes ignota moliens ? unde scio, hic
 mihi an ille ventus bellum invehet ? Hinc
 etiamnum incognitum est, quæ natura,
 quæque facies illarum est terrarum ;
 quamvis inficiari nequeamus etiam ibi-
 dem inveniri homines, licet lingva,
 Institutis, legibus, moribusque à nobis
 diversis; quod quidem quorundam sen-
 tentiæ non accedit , qui loca illa tanta
 frigoris immanitate premi putant, ut
 nulli sint illorum incolæ. Verum e-
 nimvero Olaus Magnus (*m*) ostendit
 habitare populos etiam sub polis, nam
dicit

(*l*) lib. 7. quæst. c. 31: (*m*) l. 1. de sept.

dicit : possunt homines illi vel arte , vel causis naturalibus adhibitis , illud frigus , & minus benignam cœli temperiem declinare.

Tales jam , qui adversa urgent vestigia , contraria temper sentiunt anni tempora , frigorū atqve calorū varietates dissimiles , nec non alias in aere & tempestatibus primarum qualitatum mutationes , quippe qui solem interdum præsentem habent , interdum etiam absentem desiderant ; sol enim non est uni cœli punto infixus , sed continuo sine ulla morâ pergit , nunc ad septentrionem , nunc ad meridiem , servatis naturæ legibus , eumq; semper annus sequitur , & ad ejus flexum hiemes æstatesq; vertuntur . Unde patet quosdam Sine ratione statuisse Christum venturum ad judicium media nocte præcedente festum paschatos . Nec est , quod quis dicat mundum tempore vel

vernali, vel autumnali respectu omnium locorum esse creatum; dum enim illis est ver, nos autumnum habemus, nobis æstate gaudentibus, illi hiemis injuria premuntur. Nec jam plura congeram, cum ex superioribus, quicquid contrarii habent Antipodes, abunde dispalescat.

